



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 23. Ordo Equestris S. Georgii a Carolo Alberto Bavariae Electore restauratus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

infantem sine Baptismo salvari non posse, veram ergo esse antithesin hanc, qui *non crediderit, aut non baptizatus fuerit, condemnabitur.* Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Ponderatis utrinque rationibus Silesiensis Curiae Præfectus die decima quarta Septembris Anno 1731. ad Volavienses edictum transmittit, vi cuius Lutheranis Obstetricibus injunctum, ut infantibus ex integro non natis, si pars sacro fonte ablui potest, Baptismum conferant, eoquod nec ex Confessione Augustana, nec ex ejus apologia vel libro Concordiæ constet, id Lutheranis esse prohibitum.

§. XXIII.

*Ordo Equestris S. Georgii a Carolo Alberto Bavarix Electore restauratus.*

Sub idem tempus Carolus Albertus Bavarix Elector Monachii Ordinem Equestrum sub tutela S. Georgii ad defensionem immaculatæ Conceptionis B. V. M. a suis Majoribus institutum & postea injuria temporum, bellorumque intermissum, annuente summo Pontifice, cujus Breve Apostolicum Scarlatus Abbas detulerat, restauravit, eumque pluribus, iisque amplissimis privilegiis auxit: Statuta illius erant præcipua,

Sæc. XVIII  
 A. C. 1729. cipua, ut omnes Equites Religione  
 essent Catholici, fidem Catholicam,  
 atque Ecclesiam Romanam pro viribus  
 tuerentur, Viduis ac pupillis opem &  
 patrocinium impenderent, cunctis Chri-  
 stianis virtutibus studerent, ac senten-  
 tiam de immaculata Conceptione B. Vir-  
 ginis Mariæ strenue propugnarent.  
 Tessera vero hujus Ordinis erant hæc  
 verba: *In fide, justitia & fortitudine:*  
 nec admittebantur ad hunc Ordinem,  
 nisi qui generis sui nobilitatem a tri-  
 ginta duobus suæ prosapiæ Majoribus  
 continuata serie comprobare possent,  
 ita, ut nequidem Magnus Magister,  
 qui semper ipsemet Serenissimus Elector  
 esset, in eo dispensare valeret: Die igi-  
 tur vigesima quarta Aprilis Monachii  
 in Ecclesia Collegiata B. V. (\*) festiva  
 habebatur hujus Ordinis institutio, ubi  
 Pontificii Commissarii partes agebat  
 Clemens Augustus Archiepiscopus &  
 Coloniensis Elector, qui assistentibus  
 quamplurimis Prælatibus atque Abbati-  
 bus sacrum solemne peragebat. Elige-  
 bantur eo die tres Magni Priores, sex  
 Equites magnæ Crucis, octo Commen-  
 datores, & sex Equites, quibus die  
 octava

(\*) Hanc Ecclesiam jam circa annum Do-  
 mini 1482. in honorem immaculatæ Con-  
 ceptionis dedicatam fuisse referunt Scriptorum.

octava Decembris præter alium magnæ  
Crucis Equitem adhuc alii novem Com-  
mendatores adjugebantur.

Sæc. XVIII.  
A. C 1729.

## §. XXIV.

*Motus contra Lectiones de S. Grego-  
rio VII. Papa concitati.*

Jam anno Christi millesimo quingen-  
tesimo octogesimo quarto Grego-  
rius XIII. in Martyrologio Romano a  
se emendato memoriam fieri jufferat  
S. Gregorii VII. Pontificis cum hoc e-  
logio: *Salerni Depositio Beati Gregorii Papæ  
septimi, Ecclesiasticæ libertatis Propugna-  
toris, ac defensoris acerrimi.* Non de-  
erant, qui honorifica hac mentione stu-  
diose Henrici IV. Imperatoris exaucto-  
rationem in memoriam ideo revocari  
criminabantur, ut eo facilius Henri-  
cus IV. Navarræ Rex a Franciæ solio  
arceri posset. Horum tamen cavillatio  
adeo tum flocci habebatur, ut ipse e-  
tiam Paulus V. Pontifex anno nono  
sæculi decimi septimi primum indulge-  
ret, ut ejus festum publico cultu ce-  
lebraretur, ac de eo Officium cum pro-  
priis Lectiõibus & oratione a Salerni-  
tano Clero, id præcipiente Joanne Bel-  
trano de Gueverra Archiepiscopo Sa-  
lernitano, recitaretur, ipsis etiam Flo-  
rentinis ac Senensibus pari cultu hunc